

aut ullo modo justificata fuerint, aut ex alia quolibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, pretextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptione, vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrarum, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolica potestatis plenitudine sibi concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se jurare ullo modo posse; sed ipsas presentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, siveque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in praeiis censis, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentia, ac potestate fungentes, & futuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de iure quesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, locis, Ordinibus, etiam Militantibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, aliisque quibuslibet specialibus, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam clausulis, & decretis, etiam derogatarum derogatoriis, & irritantibus, in genere, vel in specie, etiam Motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine,

seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialibus, specificis, & individua mentio, seu quavis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, & causas, & occasionis præteritis, pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, plenissime, & amplissime, Motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem presentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quicquam de eis ignorantiam prætereunda valeat; ipsas presentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Curforibus nostris, ut moris est, publicari, & affici, siveque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perinde afficere, & arcere, ac si unicuique illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.

Ut earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliqujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, que ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, & Declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Kalend. Martii Pontificatus nostri anno septimo. D. Card. Passionei. J. Dataris. Vica. de Curia I. C. Bojchi. J. B. Eugenius. Loco ✕ Plumbi, Regijrta in Secretaria Brevium. Publicata die 4. Martii 1747.

CIRCA SANCTIFICATIONEM DIERUM FESTORUM,

Ad d. P. 2. Cap. 3. de tertio Decalogi Præcepto.

Indultum vacandi operibus servilibus, pro nonnullis Univeritatibus Diœcesis Calaguritanæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam
Benedictionem.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione statum, aut pro necessitate rerum oportet temperari; illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id roverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum: Ea propter Apostolica hæc Sancta Sedes, pro Paterna erga Univeros Christi fideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, contulit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus Divini Cultus incrementum præscripta, aut per frigiditatem in nonnullorum cordibus charitatem, ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessarium inopiam, non sine conscientia angore contemnuntur.

§. 1. Quoniam autem, sicut pro parte Charissimi in Christo Filii nostri Philippi, Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in Provincia Ipuicoana, cujus pars in Fraternitatis tuæ Diœcesis Calaguritanæ continetur; præter festos dies in Universalis Ecclesiæ servari solitos, alios quam plurimos, sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præcepto agitari, ita ut quamplurimis ejusdem Provinciæ, & Diœcesis tuæ hominibus (qui manu, & labore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obventa aendæ vitæ necessitate, vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt) si per omnes dies festos hujusmodi à servilibus operibus abstinere, ad vitam lucro sustentandam haudquaquam tempus sufficiat; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos itaque, qui Christi fidelibus, quantum cum Domino possumus, salutem remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinae rigorem ad separationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, sus-

ensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, penis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore sententes, supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præsentem committimus, & mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus ejusdem Provinciæ in Diœcesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini nostri Jesu Christi, & sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequenti eisdem diebus, Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi, & Commemorationis Omnium Sanctorum, præterea quinquæ dicatis Beatæ Virgini Mariæ Immaculatæ, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni, aut Tutelarisi cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis diebus Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutionibus, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per Majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo proventus conscientia scrupulo vacare possint, auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas, ac statuas, præcipias, & mandes.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, necnon Provinciæ, & Diœcesis præfatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præteritis pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum intèris habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque con-

trariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Septembris 1743. Pontificatus nostri anno 3. D. Card. Passioneus. Eodem mensis Septembris 1743. simile Indultum concessum fuit pro nonnullis Universitatibus Diocesis Pampilonensis. Item pro Univerſitatibus, & hominibus Diocesis Pacensis.

Mense Septembris 1743. simile pro hominibus Civitatis, & Diocesis Septemſis. Mense Septembris 1744. simile pro Diocesi Hiſpalenſi. Pro Diocesi Mindonienſi. Pro Diocesi Malacitana. Mense Maio 1745. simile pro Oppido de Olivares nullius Diocesis Provinciæ Hiſpalenſis. Et pro Civitate, & Diocesi Valliſoletana.

CIRCA DUELLUM.

Ad eand. P. 2. in 5. Præceptum Decalogi.

Prohibitio quinque Propositionum circa Duellorum abufum, innovatis adverſus
Duellantes legibus, & pœnis.

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.

Destabilem, ac Divina, naturalique Legè damnatum Duellorum abufum, à barbaris gentibus, atque ſuperſtitioſis, non ſine ingenti corporum, animarumque clade, in Chriſtianam Republicam auctore Diabolo invecum, cum ſemper execrata ſit, atque improbari Ecceſia, tum præcipuo in eam curam ſtudio, vigilantia, ac zelo, incubuerunt Romani Pontifices, ut à Fideſium cœtu longiſſime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus Prædeceſſorum noſtrorum Nicolai I. (a) Cæleſtini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. (b) Innocentii IV. (c) adverſus ſingulares pugnas decreta, extant recentiores Apoſtolicæ Sedis Conſtitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II. (d) Leo X. (e) Clemens VII. (f) ac demum Pius IV. (g) graviſſimas pœnas antea ſtatutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt, contra duellantes ex quacumque cauſa, etiam per Sæculares Regionum aut Locorum Leges forſan permiſſa, adjecta infamia, bonorumque proſcriptione, etiam adverſus complices ac participes, & qualemcumque operam iſdem præbentes.

§. 1. Tridentina vero Synodus (h) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & Reges, Duces, ac Principes, ceteroſque Dominos temporales, ſi locum ad Monomachiam in terris ſuis conceſſerint, ac iurisdictione, & dominio loci, in quo duellum fieri permiſſerint, quem ab Ecceſia obtineant, eo ipſo privatos de-

claravit. Committentes vero pugnam, eorumque Paternos, excommunicationis, ac omnium bonorum proſcriptionis, necnon perpetuæ infamiae pœnam incurere ſtatuit; & ſi in ipſo conſuetu deceſſerint, Ecceſiaſtica ſepultura perpetuo carituros decrevit.

§. 2. Cum vero præſatis ſaluberrimis Legibus judicialia dumtaxat, ac ſolemnia duella comprehenſa, ac proſcripta viderentur, piæ memoriæ Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. (i) huiusmodi pœnas adverſus eos omnes extendit, qui nedom publice, ſed etiam privatim ex condicito, ſtatuto tempore, & loco Monomachiam commiſerint, etiamſi nulli Patrini, ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæque provocatoriæ Litteræ, aut denunciacionis Chartulæ præceſſerint.

§. 3. Denique ſælicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor noſter, Apoſtolicas Romanorum ante ſe Pontificum Leges omnes, & pœnas in eis ſtatutas, ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Illius vices*, data 16. Kal. Septemb. anno 1592. diſerte complexus, eandem extendit ad omnes non ſolum duello certantes, ſed etiam provocantes, ſuadentes, equos, arma, comætuſ præbentes, comitantes; Chartulas, Libellos, Maniſeſta mitentes, ſcribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa iſta cooperantes; Socios, Paternos, de indultria ſpectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permitentes, vel, quantum in ipſis eſt, non prohibentes, ac delinquentibus veniam, & impunitatem concedentes, quique ſe prædictis quoquomodo immiſceverint; etiamſi neque pugnæ effectus, neque acceſſus ad locum ſit ſubſequutus. His

(a) *Epif. l. ad Carolum Calvum.*

(b) *In Concil. Lateranenſi cap. 1. & 2. de Torneamentis ubi trium Prædeceſſorum Decreta citantur.*

(c) *In Epif. ad Archiepiſcopos, Epifcopos, alioſque Ecceſiaſticos Regni Franciæ, apud Raynald. ad ann. 1251. num. 31.*

(d) *Conſtit. incip. Regis paciſici.*

(e) *Conſtit. Quam Deo, & Hominiſus.*

(f) *Conſtit. Conſuevit Romanus Pontifex.*

(g) *Conſtit. Ea, quæ ad Prædeceſſoribus.*

(h) *Seſſ. 25. cap. 19. de Reſorm.*

(i) *Conſtit. Ad tollendum.*

§. 4. His tam ſapienter, tam aperte, atque perſpicue ab Ecceſia, & ab Apoſtolicæ Sede conſtitutis, dubitari jam nullo modo poſſe videbatur, quin duella omnia tam publica, quam privata, & Naturali, & Divino, & Ecceſiaſtico iure, proſus illicita, vetita, atque damnata cenſeri deberent. Sed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis ſpeciem humani, præviſque cupiditatibus plus æquo faventes, Apoſtolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inſeſcentes, ac temperantes, licere, docuerunt, (k) Viro Equiltri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: (l) Fas eſſe deſenſione occiſiva, vel ipſiſ Clericis, ac Religioſis, tueri honorem, dum alia declinande calumnie via non ſuppetat, (m) propulſare dama, quæ ex iniqua Judiciis ſententia certo imminet; (n) deſendere non ſolum que poſidemus, ſed etiam ea, ad que jus inchoatum habemus, dum alia via id aſſequi non valeamus: Quas quidem aſſerſiones duellis faventes, Apoſtolicæ Sedes cenſura notavit, rejecit, proſcripſit.

§. 5. Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui eti duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi cauſa, vel levioris momenti res, fortunaſque ſervandi, fateantur illicita; aliis tamen in circumſtantis, & caſibus; vel amittendi Officij, & ſuſtentacionis, vel denegatæ ſibi à Magiſtrata juſtitiae, deſenſionis innoxie titulo, ea licere pronunciant, laxas, & periculi plenaſ opinionem huiusmodi, ex vulgatiſſeorum Litteris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romane Ecceſiæ Cardinalibus, & quibſdam dilectis Filiis Sacre Theologiæ Magiſtris ſpecialiter ad id per Nos deputatis, commiſimus; qui re mature diſcuſſa, latis coram Nobis tum voce, tum ſcripto ſuſfragiis, infrascriptas Propositiones cenſura, & proſcriptione dignas extimarunt.

PRIMA PROPOSITIO.

Vir Militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidololoſ, timidus, abjectus, & ad Officia Militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis, alias ſibi debite, ac promerite, ipe perpetuo carere deberet, culpa, & pena vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum.

II. Exculari poſſunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt, pugnam non eſſe ſecuturam, ut pote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit Ecceſiaſticas pœnas ab Ecceſia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amiſſionis fame, & offici.

IV. Licitum eſt, in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre Duellum, ad ſervandas cum honore fortunatas, quando alio remedio earum factura propulſari nequit.

V. Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poſſet ſtatu Civitatis male ordinate, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, juſtitia aperte denegatur.

§. 6. Auditus itaque, ſuper unaquaque earum propoſitionum, dictorum Cardinalium, & Conſultorum judiciis, atque omnibus rite, & mature conſideratis, Nos ipſas, præſentium Litterarum tenore, & Apoſtolicæ Auctoritate, tanquam falſas, ſcandalofas, ac pernicioſas rejecimus, damnamus, ac prohibemus, itaut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, deſenderit, ediderit, aut de iſis, etiam diſputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi ab exiſtente pro tempore Romano Pontifice abſolvi.

§. 7. Inſuper ſtrictè, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Chriſti fidelibus quicumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpecialiſſi, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam iplarum, ad præxim deducant.

§. 8. Jam vero ut exitioſam Duellorum licentiam, in Chriſtiana, ac præſertim Militari Republica, non obſtantibus proviſis Legibus à plebriſque etiam Sæcularibus Principibus, & Potentiſſibus ad eandem extirpandam laudabiliter editis, adhuc glifcentem, validiore manu coerceamus, graviſſimumque ſcelus Apoſtolicæ diſtrictionis gladio magis, magisque inequmur, omnes, & ſingulas dictorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones ſuperius enunciatas, quarum tenores, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſerti forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, Apoſtolicæ auctoritate confirmantes, & innovantes, ad hoc ut penarum gravitas, & ſeveritas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, noſtro motu proprio, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, earundem præſentium Litterarum ſerie, ſtatuiſus, atque decernimus, ut ſi quis in Duello, ſive publice, ſive privatim inſicto, hominem occiderit, ſive hic mortuus fuerit in loco conſtitutus, ſive extra illum ex vulnere in Duello accepto, huiusmodi homicida, tanquam interſiciens proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Conſtitutionis ſælicis recordationis Prædeceſſoris noſtri Benedicti Papæ XIII. que

in-

(k) 2. Prop. damnata ab Alexandro VII.

(l) 17. Prop. ex damnatis ab eodem.

(m) 18. Prop. ab eodem damnata.

(n) 32. Prop. ex damnatis ab Innocentio XI.

incipit: *Ex quo Divina*, data 6. Idus Junii, anno Domini 1725. ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusus, & repulsus omnino censetur; ita ut à consuecunne Sacri, aut Religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, & Judicis competentis Curie pro merito puniendus, tradi possit, & debeat; super quo Nos Episcopis, aliisque Superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, & pertinebit in posterum, necessarias, & opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus, & respective permitimus, ut quatenus periti ad inspicendum vulnus acciti, *grave vite periculum* adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper Decreto Episcopi, & cum assensu personæ Ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus à legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum; alioquin in eadem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. Litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indicis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere reculant, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

§. 9. Præterea, simili motu, & auctoritate discernimus, ac declaramus, sepulturæ sacræ privationem à sacrosancta Tridentina Synodo illicitam morientibus in loco Duelli, & conflictus, incurram perpetuo fore, etiam ante sententiam Judicis, à decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive Duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiam si vulneratus ante mortem non incerta Pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, & Ordinaris locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

§. 10. In hujus demum sollicitudinis nostræ societatem vocantes charissimos in Christo Fideos nostros, Imperatorem electum, cunctoque Catholicos Reges, necnon Principes, Magistratus, Militiæ Duces, atque Præfectos, eos omnes, & singulos, pro sua in Deum Religione, ac pietate,

enixe obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, & animis, exitiosæ Duellorum licentiæ, qua Regnorum tranquillitas, & populorum securitas, atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certo periclitatur, omni nitu, & constantia vehementer obstant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munericque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis legibus, indicisque gravissimis pœnis, horrendum scelus profcriptum sit; nisi accuratam ipsarum legum, pœnarumque executionem naviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindicæ in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam si delinquentes, aut occitantes ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnique illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim, falsique honoris Idole humanas litari victimas non impune feret supremus omnium Judex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est Divina, & humana jura tueri, sibi que creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

§. 11. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu fulscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ, vel ostensæ: Utque eadem præsentis in consuetis locis publicis hujus Almæ Urbis per Curiores nostros, ut moris est, publicatæ & affixæ, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, statuti, declarationis, facultatum impertionis, obestationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1752. quarto Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertio decimo. *D. Card. Passioneus. J. Datarus. V. de Curia. J. C. Botchi. Loc. X. Plumbi. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Public. die 24. mensis Novemb. 1752.*

CIRCA DOMINIUM, ET FURTUM.

Ad eand. Part. 2. in 7. Decalogi Præcepto, Cap. 1.

Libertati, & indemnitati Indorum providetur, in Ditionibus Americanis Regis

Portugallie.

BENEDICTUS PAPA XI V.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam

Benedictionem.

Immensa Pastorum Principis Jesu Christi, qui, ut homines vitam abundantiam haberent, venit, & se ipsum tradidit redemptionem pro multis, charitas urget Nos, ut quemadmodum ipsius vices plane immerentes gerimus in terris, ita majorem charitatem non habeamus, quam ut animam nostram non solum pro Christi fidelibus, sed pro omnibus etiam omnino hominibus ponere sagtagamus. Erit autem, pro suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratore infirmitati nostræ injuncta, Apostolicam hanc Sanctam Sedem, ad quam undique gentium in dies concurrunt, ut opportunum, ac salutare emergentibus in Christiana Republica, sive negotiis, sive detrimentis remedium afferatur, hic Romæ, more inlittutoque majorum, tenere, ac regere cogimus; nec longinquas distititque regiones, ut qualemcumque inibi Apostolici ministerii nostri pro lucranda animabus pretioso Jesu Christi sanguine redemptis operam impendamus, ac vitam ipsam, quemadmodum cupimus, profundamus, adire non possumus: tamen sicut volumus omnes Apostolicæ providentiæ, auctoritatis, benignitatisque partes ab omni natione, que sub Cælo est, desiderari; ita Vos, Venerabiles Fratres, quos ad excolendam Vineam Dei Sabbaoth Cooperatores eadem Apostolica Sedes sibi adlocuit, in Pontificæ sollicitudinis, vigilantique nostræ partem libenter advocamus; ut & imposito Vobis muneri magis, magisque satisfacere, & coronam legitime certantibus in Cælo repositam facilius consequi valeatis.

§. 1. Porro Fraternalibus vestris compertum est, quæ, & quanta Romani Pontifices Prædecessores nostri, & Catholice Principes de Christiana Religione benemeritissimi, laborum incommoda, ac pecuniarum dispendia alacri, constantique animo pæsi fuerint, ut hominibus, qui ambulabant in tenebris, & in umbra mortis sedebant, per Sacros Operarios, tum sacris prædicationibus, bonisque exemplis, tum donis, tum opibus, tum subsidiis, tum auxiliis, lumen Orthodoxæ Fidei illucesceret, & ad agnitionem veritatis venirent: & quibus etiam tunc muneribus, quibus beneficiis, quibus privilegiis, quibus prærogativis, quemadmodum semper factum est, Infidelibus cumulerentur, ut iis illecti, Catholicam Re-

ligionem amplectantur, in eaque manentes, per bona Christianæ pietatis opera æternam salutem adipiscantur.

§. 2. Ea propter non sine gravissimo paterni animi nostri moerore accipimus, post tot inita ab itidem Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Apostolicæ providentiæ consilia, post editas Constitutiones: opem, subsidium, ac præsidium Infidelibus omni meliori modo præstandum esse, non injurias, non flagella, non vincula, non servitutem, non necem inferendam esse, sub gravissimis pœnis, & Ecclesiasticis censuris, præscribentes; adhuc reperiri, præsertim in istis Brasilicæ regionibus, homines Orthodoxæ Fidei cultores, qui veluti charitatis in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusæ sententiam penitus oblit, miseris Indos non solum Fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro ablutos, in montanis, asperissimisque earundem Brasilicæ, tam Occidentalium, quam Meridionalium, altiarumque regionum desertis inhabitantes, aut in servitutem redigere, aut veluti mancipia aliis vendere, aut eos bonis private, eaque inhumanitate cum illdem agere præstantur, ut ab amplectenda Christi Fide potissimum avertantur, & ad odio habendam maximopere obfirmantur.

§. 3. Hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagemus, primum quidem eximiam pietatem, & in Catholica Religione propaganda incredibilem Charissimi in Christo Filii nostri Joannis Portugallicæ, & Algarbiorum Regis illustris zelum excitandum curavimus; qui pro filiali sua erga Nos, atque hanc Sanctam Sedem obsequantia, statim se omnibus, & singulis suarum Ditionum Officialibus, & Ministris in mandatis daturum pollicetur est, ut quemcumque suorum subditorum aliter, quam Christianæ charitatis mansuetudo exigit, erga Indos hujusmodi se fe gerere compulerit, gravissimis juxta Regia edicta pœnis afficerent.

§. 4. Deinde Fraternalitates Vestras rogamus, atque in Domino hortamur, ut ne dum debitam ministerii vestri vigilantiam, sollicitudinem, operamque vestram hac in re, cum nominis, dignitatisque vestræ detrimento, deesse non patiamini; quin imo, studia vestra Regionum Ministrorum officii conjungentes, unicuique probetis, Sacerdotes animarum pastores optem, præ Laicis Ministris, ad Indos hujusmodi quærendam, eosque ad Catholicam Fidem adducendos, ar-

dentiori Sacerdotalis charitatis æstu ferveant.

§. 4. Præterea Nos, auctoritate Apostolica, tenore presentium, Apostolicas in simili forma Brevis Litteras à sel. rec. Paulo Papa III. Prædecessore nostro, ad tunc existentem Joannem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Tavera nuncupatum Archiepiscopum Toletanum die 28. mensis Maii anno 1537. datas, & rec. mem. Urbano Papa VIII. eidem Prædecessore nostro, tunc existentium iurium, & spoliolorum Cameræ Apostolicæ in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debiturum Collectori Generali, die 22. mensis Aprilis anno 1639. scriptas renovamus, & confirmamus; necnon eorundem Pauli, & Urbani Prædecessorum vestrorum inherendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos prædictos, quos omnibus Christianæ charitatis, & mansuetudinis officis ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illa deterreat, reprimere volentes; uniceque Fraternalitatem vestram, vestrisque pro tempore Successoribus committimus, & mandamus, ut unusquisque vestrum, vel per se ipsum, vel per alium, seu alios, editis, atque in publicum propositis, affixisque editis, omnibus Indiis, tam in Paracuaris, & Brasiliæ Provinciis, ac ad Flumen de la Plata nuncupatum, quam in quibusvis aliis regionibus, & locis in Indiis Occidentalibus, & Meridionalibus existentibus, in præmissis efficaciæ defensionis prædicio assentes, universis, & singulis personis, tam secularibus, etiam Ecclesiasticis cuiuscumque status, sexus, gradus, conditionis, & dignitatis, etiam speciali nota, & mentione dignis existentibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Jesu, Religionis, & Instituti Mendicantium, & non Mendicantium, ac Monachalis, Regularibus etiam quarumcumque Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Fratris Militibus, sub excommunicationis late sententiæ per contravenientes eo ipso incurrenda pœna, à qua, non nisi à Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, & satisfactioe prævia, absolvi possint, districtius inhiberetur, ne de cætero prædictos Indos in servitute redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab Uxoribus, & filiis suis separare, rebus, & bonis suis spoliare, ad alia loca deducere, & transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere; necnon prædicta agentibus consilium, auxilium, favorem, & operam quocumque prætextu, & quæsto colore præstare, aut id licitum prædicare, seu docere, ac alias quomodolibet præmissis cooperari audeant, seu præsumant; contradictores quoslibet, & rebelles, ac uniceque vestrum in præmissis non parentes, in pœnam excommunicationis huiusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione

postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Nos enim uniceque vestrum, vestrorumque pro tempore Successorum, deluere plenam, & amplam, & liberam facultatem tribuimus, & impertimur.

§. 6. Non obstantibus similis memorie Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, ac Concilii Generalis de duabus diætiis, ac aliis Apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Legibus quoque etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum, & non piorum, & generaliter quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur; presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earundem presentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impensis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, qua ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 8. Cæterum, Venerabiles Fratres, custodientes Vos vigilias super grege uniceque vestrum credito, ministerium vestrum satagite, atque entramini, ea, qua obstricti estis, diligentia, sedulitate, & charitate adimplere, assidue in animis vestris recolentes rationem, quam & Vos Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici de ovibus suis reddituri eritis, & quam ille accuratissime à Vobis exacturus erit. Ita enim fore confidimus, ut unusquisque vestrum omnem operam, atque conatum adhibeat, ne debitum in hoc tam eximie charitatis opere officium desideretur. Interea ad prosperi eventus successum, Apostolicam benedictionem, cum uberima celestium Charitatum copia conjunctam, vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

mur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1741. Pontificatus nostri anno secundo. D. Cardinalis Passioneus.

ficatus nostri anno secundo. D. Cardinalis Passioneus.

Contra Surripientes, aut apud se retinentes sacras Hostias, vel Particulas consecratas.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AB Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo Salvator noster, & Dominus Jesus Christus se ipsum nobis, tanquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretiosum æternæ gloriæ pignus, amandum, atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit omne genu, omneque gentes, & populos, & linguas perenne adorationis, & honoris tributum offerre; sceleratorum hominum audaciam, multoque magis sacrilegas impiorum manus accendas esse, in primisque à Nobis Apostolicæ auctoritatis clypeo, ac districto pœnarum gladio, quantum cum Domino possumus, longius propullandas, tum ipso ministerii nostri Officio, tum etiam Prædecessorum nostrorum exemplis admonemur.

§. 1. Et sane, cum alias Ven. mem. Prædecessor noster Innocentius Papa XI. per suam Constitutionem, datam 4. Idus Martii, anno Incarnationis Dominicæ 1676. statuerit, ut omnes, & singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, legitime, & judicialiter confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato, Hostiam ejusmodi, sive unam, vel plures Particulas consecratas, ad malum finem, apud se retinere, vel alio transferre, seu asportare præsumperint, condignis pœnis, & animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur, & pro prima etiam vice Curie seculari tradantur; non obstanti minori ætate, cummodo vigesimo annum attigerint; eademque pœnas constituerit etiam contra Mandantes; immediatus illius Successor sel. pariter rec. Alexander Papa VIII. æquali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus; prædictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit, per aliam in simili forma datam 11. Kalendas Januarii anni 1690. in qua etiam illud addidit, ut sub ante dictæ Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensæ omnes, & singulæ personæ, tam Saculares, quam Ecclesiasticæ, etiam Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, & indultis munitæ, & quavis speciali nota, aut individuatione dignæ,

nulla prorsus excepta; easque omnes, si quas atrocissimi hujus criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas, vel per alios quocumque, aut de alterius mandato, commissi, reas esse constaret, omnibus, & singulis pœnis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Constitutione innovatis, etiam quoad Ecclesiasticas, degradationis realis, & traditionis brachii seculari, omnino, & irremissibiliter obnoxias fuisse, & esse, atque in posterum fore, declaravit.

§. 2. Nos igitur, quibus horrendæ huiusmodi impietatis magis, magisque præcavendæ non minor cura pectoris insidet, supradictas Prædecessorum nostrorum Innocentii XI. & Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum presentibus insertæ forent, haberi volumus) atque omnes, & singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, & extensiones in illis contentas, prout jacent, motu proprio, & ex certa scientia, & de liberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus, & innovamus, easque inviolabiliter, & inconcussè servari volumus, & mandamus.

§. 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes, in Romana, atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in huiusmodi causarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ Inquisitionis Tribunali agitantur, hæc plerumque exceptiones à Reis, atque Rerum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum, sive Hostiarum consecratio, & surripientium, sive asportantium, vel respectivè retinentium intentio ad malum finem directæ, minime à Fisco probentur; & propter huiusmodi exceptiones, & deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in longum prorahi contingat, atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem, aut pœnarum minoratum pessimo exemplo obtinere tentaverint; cumque super reventantia istarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI. & Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri alleruntur, & super eo, an ipsis Reis, vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis, vel respectivè destruedis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjuncti desideraretur: Idcirco Nos, volentes omnia sacrilegis hominibus adi-

more subterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis penas declinare, vel earum minorationem, & relaxationem pratendere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum nostrorum. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum à S. Sede specialiter deputatorum sensui, & consilio Nobis alias super hac re insinuato in hærentes, ea, quæ sequuntur opportune statuenda, & declaranda censuimus.

§. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas à Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repitorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Oshensorio asseratas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto, aut alteri personæ, in actu Communionis à Sacerdote traditas, deindeque, vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis, & abunde fundatam præsumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda eandem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnulli claras, & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, præsentis declarationis tenore statuiamus.

§. 5. Inutiliter etiam à Reis, vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, & juridicis probationibus, adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus præsentis declarationis vigore expresse refundimus; hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & iusta, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper absisteret valida, & legitima præsumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacra Hostiæ, vel Particulæ subreptionem, asportationem, aut retentionem: absque eo quod, super malo, vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatæ non fuerint, impiis tantum Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis penis, etiam pro prima vice traditionis brachio Saculari, & quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio Saculari, in præfatis, & antiquioribus Prædecessorum nostrorum, & juris sanctionibus, contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinorosi Reos justè, ac sapienter constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

§. 6. Decernentes præsentis nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præminentie, vel dignitatis existant, sive alias specificæ, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso; nullo inquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentis semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, stitque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censerit, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum, Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoslibet quæcumque præminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cultibus aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & de finiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure questo non tollendo; aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indulgentiis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet specificæ, & individua mentione

dig-

dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specificæ, & individua mentio, seu quavis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respectively habentes, illis alias in suo robore permaneris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentis, & in eis contenta quæcumque ad omnium noticiam facilius deducantur, nec quisquam de ipsis ignorantiam prætereunda valeat, ipsas præsentis, seu earum transumpta, ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curatoribus nostris, ut moris est, publicari, &

affigi: Sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum perinde aficere, & arcere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. 10. Urque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliorum Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

§. 11. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo tertio, tertio nonas Martii, Pontificatus nostri anno quarto. D. Card. Passionei, J. Dataris, Visa de Curia. J. C. Bosehi, J. B. Engenius, Registrata in Secretaria Brevium. Loco Plombi. Publicata die 12. ejusdem mensis, & anni.

CIRCA INJUSTOS CONTRACTUS,

Ad sequens Cap. 2.

De Usuris, aliisque injustis quæstibus.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Italiae.

BENEDICTUS, PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

VIX pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam dissemiari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum asserere remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiae Civitates labefactaret.

§. 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacra Theologia scientia, & Canonica Disciplina studio, ac peritia plurimum com-

mandantur; Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes; quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque Juris utriusque laurea præditum, & in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum, perfectumque deprehendimus.

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expectivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppetere, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt.

I 2

Jul.